



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Prouisas habebat actiones suas omnes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ratione ea quàm optimè faceret. Exempli gratiâ, quemadmodum somnum repeteret; quo modo aut in lectulo se collocaret, aut ex eo surgeret; quo se studio ad orandum & ad

*provisas  
habebat  
actiones  
suas om-  
nes.*

commentandum præpararet; quâ religione Sacris interesset, aut ad sacra obeunda mysteria se compararet; quâ curâ in conscientiam quæreret; quâ denique sollicitudine rem quamlibet aliam (quam quidem certum sciret abs se esse procurandam) administraret: adeoque designauerat scripto, quo potissimum fine, quo tempore, quibus adiunctis ea res agenda esset, ut quando constitutum rei suscipiendæ tempus aduenisset, eam rem præstaret tamquam præcogitatam, omnium perfectione; ut ex calce libri huius constabit: cui exempla nonnulla subijciam earum actionum, quas ipse certâ ratione faciendas scripto definierat. Ad hæc, per summam illam vigilantiam sublimiùs denique eniti studuit, ut non solum eas res, quas indubiè certoque administrare deberet, verùm etiam incerta extraordinariaque negotia ad ordinem ac tempus suum reuocaret; ne improvisis vniquam rebus priùs opprimeretur, quàm ad eas ipse prudens paratusque accessisset. Exemplum ab eo litteris mandatum reperio in hæc verba: *Si hoc illudve euenerit, tum hoc illudve faciam: si hac illave de re in-*

*Extempo-  
ralia quo-  
que reuo-  
cat ad cer-  
tum tēpus.*

*terro-*